

*trante*. Item probabilius non prohibet ab exercendis ordinibus jam susceptis, sed tantum ab aliis suscipiendis. (Gasp. n. 352)

Ut autem ex hoc capite irregularis fiat, clericus debet serio et ex temeraria praesumptione ponere actum notabilem sacri ordinis non suscepti, et quidem sollemniter, seu ea ratione qua idem actus a solis ordinatis exerceri solet. Hinc irregularis fit clericus ordinis inferioris qui functiones diaconi in Missa sollemni agat, minime vero qui in eadem subdiaconum agat, paratus absque manipulo (1), vel qui, nondum diaconus, ad lotionem pedum in Coena Domini Evangelium canat sine stola (2) : non enim sollemniter ministrant. Neque probabilius fit irregularis diaconus qui, sine commissione sacerdotis, sollemniter baptizat vel Eucharistiam ministrat (quamquam contrarium opinatur communis sententia) : nam ad talia praestanda ordinatus est, et per commissionem illam nihil recipit nisi jurisdictionem. Sed, juxta communem sententiam (D'Annib. n. 411. nota 23), irregularis fit qui, per saltum promotus, ordinem praetermissum sollemniter exercet, ex. gr. qui tantum subdiaconus ordinatus esset presbyter et in Missa evangelium cum stola legeret.

**III. Ex violatione censurae** irregularis fit clericus qui, excommunicatione, suspensione vel interdicto irretitus, ordinem sacrum sollemniter exercet : quod exercitium intellege sicut in irregularitate praecedente. Idem valet de scienter celebrante in loco nominatim interdicto. (6<sup>i</sup> Decr. l. 5. t. 11. c. 18) Quatenus eadem irregularitas oriatur e violatione suspensionis vel interdicti quae non sint censurae proprie dictae, vide n. 616. (3)

(1) Attamen respondit S. C. R. 18 Dec. 1875 (Gard. t. 5. n. 4269) : " Extra casum absolutae et praecisae necessitatis non posse a superioribus permitti ut clericus in minoribus pro subdiacono suppleat in Missis sollemnibus, paratus absque manipulo „ et episcopo consulenti commendavit ut contrariam consuetudinem abscondere curaret.

(2) In determinandis actionibus quibus irregularitas haec inducitur, videtur habenda ratio consuetudinis qua quaedam minus alta officia usurpari possunt sine irregularitate, modo omissione alicujus ornamenti agnoscatur ordinis defectus. Secus enim non apparet quomodo conciliari possint haec duo quae communiter traduntur (Ball. P. n. 631 ; Hilarius, p. 300) irregularem non fieri qui subdiaconatum non susceptum exerceat in Missa, modo non deferat manipulum, irregularem vero fieri qui diaconatum in Missa exerceat, licet stolam non deferat.

(3) Veteres, ut S. Alph. (n. 361), plures enumerant irregularitates quae ex mala susceptione ordinum oriuntur. Hae tamen rectius (D'Annib. n. 412 ; Ball. P. n. 634) dicuntur suspensiones, ideoque per Bullam *Apostol. Sedis* abolitae sunt, iis exceptis quas supra (n. 620) commemoravimus.

§ 2. DE IRREGULARITATIBUS EX DEFECTU.

**634. I. Ex defectu natalium** irregulares sunt omnes et soli illegitimi, i. e. quicumque extra matrimonium legitimum nati sunt. Quodsi forte in dijudicanda matrimonii legitimitate discrepat jus civile a canonico, huic soli standum est : quod e jure exclusivo Ecclesiae in materiam matrimonialem liquet. Inde etiam liquet non esse habendam rationem legitimationis quae facta sit a civili principe, si cum legitimatione Juris canonici non concordat.

Quotiens dubia est illegitimitas, puta infantis expositi, non est urgenda irregularitas. (n. 631. III) Idem dicendum de eo qui in statu civili vel libris parochialibus descriptus sit ut legitimus, quamvis publice a parentibus ceterisque habeatur ut e commercio adulterino natus. (S. C. C. 27 Jun. 1857 ; Act. S. S. t. I. p. 352) Multo minus censendus est irregularis is cujus natalia illegitima nota sunt tantum mulieri conjugatae ejusque complici vel etiam marito : quia jure censetur legitimus. Secus vero dicendum foret si quis facto et jure illegitimus foret, quamquam forsitan natalium illegitimitas ceteros lateret. Hic tamen quandoque excusari posset a dispensatione petenda, quia id sine gravi infamia sua vel parentum suorum facere non posset. (S. Alph. n. 420) Tandem ut legitimi habentur a Jure (Decr. l. 4. t. 17. c. 14) nati e matrimonio invalido quidem, sed bona fide, saltem unius partis inito, dummodo, praemissis vel dispensatis bannis, in facie Ecclesiae contractum fuerit.

Cessat praedicta irregularitas imprimis matrimonio legitime inter parentes contracto (Decr. l. c. cc. 1 et 6) ita ut legitimi fiant per omnia aequales legitime natis, excepta promotione ad episcopatum vel cardinalatum. Sed ad hunc effectum obtinendum necesse est ut illegitimus natus sit e parentibus qui, vel conceptionis, vel saltem nativitatis ejus tempore, legitimo matrimonio ineundo apti essent : atque is dicitur filius *naturalis*. Minime vero legitimatur per subsequens matrimonium *spurius* seu natus e copula adulterina vel incestuosa, nisi forte per rescriptum a legitimo Superiore obtentum declaratus fuerit legitimus : quae clausula dispensationibus concessis in impedimentis ex. gr. consanguinitatis, affinitatis, etc., apponi solet. Cfr. n. 632. V. dicta de legitimatione assequenda per dispensationem vel professionem religiosam.

**635. II. Ex defectu corporis** irregulares sunt ii omnes et soli, qui ob aliquem defectum corporalem Sacrum celebrare aut omnino, aut decenter nequeant. Ut autem quis decenter celebret, necesse est ut nec res sacras periculo irreverentiae exponat nec populo horrorem injiciat,

nec leges liturgicas, saltem in re satis magni momenti, violet. (S. Alph. n. 404; Gasp. n. 252) Verum quidem est eum qui nullatenus sacras functiones obire potest, potius lege naturali quam ecclesiastica prohiberi, ac proinde non esse proprie irregularem. Nihilominus, more communiter recepto, de omnibus iis sive irregularitatibus, sive inhabilitatibus simul dicemus.

Corpore vitati, juxta probabiliorem sententiam (Gasp. n. 253), prohibentur a prima etiam tonsura recipienda, ob rationem datam n. 629. Quidam tamen (D'Annib. n. 414) putant defectus, qui deformitatem afferunt, arcere ab omnibus ordinibus; eos vero qui impotentiam gignunt, prohibere tantum ab iis ordinibus suscipiendis, quibus quis congrue fungi non possit: quae sententia, deficiente certo argumento in contrarium, practice teneri potest. Quodsi vitium ordinibus jam susceptis supervenerit, vel si quis vitatus bona fide ordines suscepit, clericus non prohibetur nisi ab actu ordinis quem vel omnino vel decenter ponere nequit. (Decr. l. 3. t. 6. c. 7) Major quoque indecentia requiritur ut quis jam ordinatus teneatur abstinere ex. gr. a celebranda Missa, quam ut a suscipiendo ordine arceatur: is enim habet jus quaesitum ad actus ordinis suscepti exercendos.

Ubi dubium est de impotentia ordinandi ad celebrandum, iudicium pertinet ad episcopum tum proprium, tum ordines collaturum. Si idem dubium vertitur circa eum qui jam ordinatus est, iudicium spectat ad episcopum domicilii vel loci in quo celebratur. In utroque casu neuter episcopus alterius iudicio stare debet. (Gasp. n. 254)

Ut autem quasdam applicationes practicas horum principiorum subjiciamus:

1<sup>o</sup> Irregularis est qui in neutro oculo facultatem visivam servavit. (n. 246. IV) Qui vero eandem facultatem in uno tantum oculo amisit, non fit irregularis, juxta probabiliorem sententiam, nisi is oculus sit sinister seu *canonis*, et simul nequeat altero oculo legere canonem sine indecenti capitis conversione. (S. Alph. n. 404) Plures tamen, ut Suar. (disp. 51. sect. 2. n. 13), opinantur carentiam oculi sinistri semper prohibere ab ordinibus suscipiendis: sed, cum nullo textu id certo statuatur, neque necessaria appareat impossibilitas vel indecentia, non videtur haec severior sententia in praxi tenenda. Quodsi oculus erutus est, irregularitas incurritur ratione deformitatis (Decr. Grat. dist. 55. c. 13); probabiliter tamen evanescit, si deformitas oculo vitreo tollitur. (S. Alph. n. 410)

2<sup>o</sup> Ordines suscipere nequit qui ita utraque aure surdus est ut ministrum Missae respondentem nullatenus audire posset: quod, licet nullo textu Juris vim legis habente statutum sit, e principiis supra positus deducitur et communissime admittitur. Contrariam tamen sententiam

tuentur Henriquez, Gobat, etc., eandemque probabilem habet Navarrus, Cons. 6 et 7, de corpore vitatis. (Gasp. n. 259) Si vero surditas susceptis ordinibus supervenit, sacerdos probabiliter non prohibetur celebrare. (S. Alph. n. 405)

3<sup>o</sup> Irregularis est tum ad suscipiendos ordines, tum ad Sacrum celebrandum qui caret utroque vel alterutro brachio aut manu, vel qui iisdem ob paralytim, etc., uti nequit; pariter mutilatus pollice vel indice, sive integre, sive ex parte, ita ut hostiam frangere nequeat. (Decr. l. 1. t. 20. c. 7) Quodsi quis indicem amiserit, juxta S. Alph. (n. 408) potest dispensatione donari; juxta alios (Ball. P. n. 690), et quidem satis probabiliter, irregularis non est, cum digitus medius idem officium praestare possit, quod solet praestari ab indice, et tota sacerdotis manus consecratur. Cfr. n. 187. Amisissis aliis digitis, modo maneat pollex cum indice vel medio digito, irregularitas sequetur tantum ob deformitatem: quare videtur is qui jam ordinatus hos digitos amisit, privatim celebrare posse.

4<sup>o</sup> Irregularis est ob deformitatem claudus qui nequeat sine baculo ire ad altare (de Consec. dist. 1. c. 57) i. e. qui baculo niti debeat dum Missam celebrat; probabiliter tamen posset sacerdos qui in talem defectum incidisset, celebrare privatim, populo non adstante. Pariter irregularis est qui crura adeo distorta habet ut defectus veste talari tegi non posset. (S. Alph. n. 407) Ii vero qui pede vel crure artificioso instructi sunt, rarius jam hodie irregulares erunt: quia cum subtiliore arte talia humanae infirmitatis adjumenta confici soleant, plerumque aberit notabilis deformitas. (Ball. P. n. 697)

5<sup>o</sup> Irregulares sunt omnes qui quolibet defectu vel macula corporis horrorem vel irrisionem spectantibus movent, quales sunt enormiter gibbosi, leprosi, morbo gallico foris apparente laborantes, naso carentes, etc. (1)

Ab hac irregularitate per se non dispensat nisi S. Sedes, tum quoad suscipiendos, tum quoad exercendos ordines. Episcopus declarare tantum potest, in dubio, defectum non obstare ordini suscipiendo vel exercendo. Praelati Regulares, juxta S. Alph. (n. 414), ita possunt dispensare cum suis ut in episcopi ordinantis arbitrio sit hujusmodi ordinandos admittere vel rejicere. Patet tamen eos nullatenus dispensare posse eos qui naturaliter inepti sint vel quos ipsa S. Sedes non solet dispensare. (Vol. I. n. 118. II) Hinc nequeunt dispensare ut caecus ad sacerdotium promoveatur, bene vero ut sacerdos visu privatus

(1) Quatenus ab his aliisque irregularitatibus dispensatio obtineri possit, eruere licet praesertim e facultatibus nuper a S. C. C. concessis vel negatis. De his utiliter conferri potest Gasparri, op. cit. n. 253-266.

celebret, assistente alio sacerdote, modo actionem sacram rite peragere valeat. (Ball. P. n. 702)

**636. III. Ex defectu fidei confirmatae** irregulares sunt neophyti, i. e. recens baptizati. Hanc esse irregularitatem proprie dictam opinatur Gasparri (op. cit. n. 269) : quicumque igitur in adulta aetate essent baptizati, manerent irregulares donec a S. Sede dispensarentur. Sed rectius tenet communis opinio (Bened. XIV, de Syn. l. 12. c. 1. n. 6) penes episcopum esse ut judicet num neophytus satis firmus sit in fide et virtute christiana ad ordines secure recipiendos.

**IV. Ex defectu animi** seu usus rationis irregulares sunt, saltem sensu lato :

1<sup>o</sup> Possessi a daemone : qui tamen probabiliter, plene finita possessione, ordinari possunt (D'Annib. n. 415), quamquam contrarium alii (Gasp. n. 275) opinantur.

2<sup>o</sup> Amentes et epileptici, saltem quamdiu non constet eos plene et absque probabili relapsus periculo sanatos esse. Id autem de epilepsia vix umquam cum sufficienti certitudine constabit, juxta sententiam etiam hodie a peritissimis medicis receptam, nisi causa morbi fuerit omnino accidentalis, puta vulnus inflictum. Si enim ex ipsa physica indole orta est epilepsia, numquam non est timendus relapsus, ac proinde manebit irregularitas. Id tamen non est extendendum ad eundem morbum qui tantum in infantia saevierit, postea autem, ut saepe fit, plene cessaverit. Quodsi jam ordinati epilepsia correpti fuerint, sed raro, puta semel in mense, cadunt, nec spumant, poterunt privatim celebrare, adjuncto sacerdote jejuno, qui Missam perficiat, adveniente morbo, ut S. Alph. (l. c.) cum multis aliis deducit ex c. *Communiter* (Dist. 33. c. 3) : quae doctrina sane practice tuta est, licet praxis S. C. C. tales epilepticos a celebratione removeat, donec morbus per longum tempus cessaverit. (Gasp. n. 280) Similia dicenda de amentibus. Hi ergo ordinari possunt si constat eos esse perfecte sanatos : quod vix umquam continget, si amentia non ex aliqua accidentali causa, sed ex ipsa hominis indole vel hereditaria labe orta est ; immo S. Alph. (n. 398), cum communi sententia, tenet tales numquam sine dispensatione ordinari posse. Si quis jam sacerdos in amentiam incidat, is poterit iterum celebrare quando, arbitrio episcopi vel (si Regularis sit) Praelati Regularis, constabit amentiam cessasse : immo in praxi, si sanatio manifesta est, solet praesumi episcopi consensus.

**637. V. Ex defectu famae** irregularitas duplici ratione oriri potest, prout agitur de infamia juris vel de infamia solius facti.

*Infamia juris* in eo est quod lex ecclesiastica statuit aliquem non esse habendum ut probum, ideoque a pluribus actibus legitimis esse repellendum. Potest haec infamia incurri vel ipso facto, ut censurae l. s., vel tantum post sententiam saltem declaratoriam criminis. Antiqui Canonistae communiter statuunt tamquam infames habendos esse in Jure Canonico quotquot tales a lege civili declarantur. Sed, cum innitantur unice Pseudo-Decretalibus, hodie tamquam infames ipso jure habendi sunt tantum ii, qui diserte per leges ecclesiasticas hac macula notantur. (Gasp. n. 290) Sunt autem praecipui :

a) Duellantes eorumque patrini (Trid. Sess. 25. de ref. c. 19), non autem ceteri duelli cooperatores. Sic irregulares ex infamia juris declaravit S. C. C. 19 Aug. 1890 scholares duellantes in Universitatibus Germanicis. Cfr. Vol. I. n. 381. IV.

b) Raptores mulierum eorumque cooperatores. (Trid. Sess. 24. de ref. c. 6).

c) Qui duas simul habet uxores (Decr. l. 1. t. 21. c. 4). puta per matrimonium civile, vivente legitima uxore, attentatum.

*Infamia facti* in eo est quod aliquis, ob crimen a se patratum, bonam existimationem apud viros probos amittat. Haec inducitur quolibet delicto enormi, puta adulterio, simonia, etc. quod, saltem e probabilibus conjecturis, toti communitati vel majori ejusdem parti innotuerit. Haec tamen non est irregularitas proprie dicta, nisi quis damnatus fuerit per sententiam judicalem. Igitur, tali sententia deficiente, eadem cessabit poenitentia et emendatione patratu criminis post biennium, ut D'Annib. (n. 430. nota 7) e Decr. l. 5. t. 28. c. 2 recte concludit. Neque ulla irregularitate notantur qui officiis ex hominum aestimatione vilibus, puta lictorum, cauponum, histrionum etc., functi fuerint; sed ipso naturali jure prohibetur quominus ordinentur vel sacris operam dent qui talibus officiis nondum renuntiarint.

**VI. Ex defectu lenitatis** irregulares sunt qui in judicio legitimo directe concurrerunt ad alicujus mortem vel mutilationem reapse secutam ; probabilius tamen requiritur ut et publica auctoritate et sua sponte concurrerint. (D'Annib. l. n. 425) Hanc irregularitatem, nullo Juris textu clare statutam, praxis facit indubiam.

Hinc irregulares fiunt, in judicio sanguinis hodierno, judices sententiam mortis pronuntiantes, procurator generalis, testes qui sponte testificati sunt et testimoniis suis causa damnationis exstiterit, carnifex etc., minime vero judex instructionis, jurati, delatores qui egerunt tantum ad damni sibi vel suis illati reparationem obtinendam, dummodo protestentur expresse quod vindictam seu poenam sanguinis non intendunt (6<sup>i</sup> Decr. l. 5. t. 4. c. 2), testes ex officio vocati, quamvis nullam

protestationem emiserint (utpote nullo jure requisitam), milites qui reum comitantur, cum officium istud non obeant sponte, etiamsi forte sponte militiae nomen dederint, etc. (Gasp. n. 453 seqq.)

§ 3. DE IRREGULARITATIBUS QUAE MODO EX DELICTO,  
MODO EX DEFECTU CONTRAHUNTUR.

**638. I.** Ex haeresi nascitur irregularitas; sed plurimum convertitur quosnam afficiat, et utrum ex delicto an ex defectu formae oriatur. Breviter quaedam practica subjiciemus.

1° Irregulares sunt, et quidem probabilius ex infamia juris (Decr. l. 5. t. 7. c. 13), qui publice ad sectam haeticam vel schismaticam defecerunt aut in apostasiam lapsi sunt. Quare, si ad fidem convertuntur, dispensatione indigent ut ad ordines admittantur, prout de haeticis respondit S. Inqu. 4. Dec. 1894. (Coll. P. E. n. 1178)

2° Celeri haetici, etiam publici, non videntur esse irregulares, nisi personaliter damnati, excommunicationi quam ipso jure contrahunt, per annum satisfacere contempserint: tunc enim incurrunt infamiam juris, ex Decr. l. 5. t. 7. c. 13.

3° Irregulares quoque sunt „ filii haeticorum, qui in haeresi persistunt vel mortui sunt, ad primum et secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum dumtaxat. „ (S. Inqu. resp. cit.) Consuetudo autem, quae in pluribus locis, speciatim in Germania, invaluerat, eos ordinandi sine dispensatione, pluries a S. Inqu. reprobata est, et nuperrime 6 Mart. 1891. (N. R. Th. t. 26. p. 50) Haec tamen irregularitas est improprie dicta, siquidem conversione parentum cessat; probabilius autem oritur ex quadam quasi generis infamina. (D'Annib. u. 432)

**II.** Ex bigamia multiplex oritur irregularitas. Videlicet:

1° Irregularis est qui successive contrahit et consummat duo matrimonia valida: quae dicitur *bigamia vera*. Haec oritur ex defectu sacramenti, nempe ex eo quod huic duplici conjunctioni deest perfecta significatio illius unitatis et indissolubilitatis quae in unione Christi cum Ecclesia, matrimonii prototypo (Eph. V, 32) reperitur. Eam, post ipsum Apostolum (1. Tim. III. 2 et 12), plura capita statuunt in tit. *De bigamis non ordinandis*. (Decr. l. 1. t. 21)

2° Irregularis est qui, ex quadam Juris interpretatione sen fictione, duas uxores habuisse censetur, quamvis revera non habuerit: haec dicitur *bigamia interpretativa*. In Jure (t. cit. c. 4) exprimitur tantum casus illius qui, post contractum et consummatum matrimonium

validum, ordines sacros suscepit et deinde matrimonium cum alia muliere, etiam virgine, attentavit et consummavit. Hanc Juris dispositionem ad alios casus similes, ex. gr. si vir contrahit cum muliere vidua vel corrupta etc., plures AA. extendunt. Quam incertae sint istae extensiones, videsis ap. D'Annib. n. 418 seqq. et Gasp. n. 384 seqq. Rem a praxi remotam, brevitatis causa, omittimus.

3° Juxta communem sententiam (S. Alph. n. 448), irregulares sunt, ex *bigamia similitudinaria*, qui post sollemnia religionis vota vel post susceptionem ordinis sacri matrimonium attentant: quia similes sunt contrahentibus duplex matrimonium, quatenus, post conubium spirituale cum Christo initum, conubium carnale attentant. Sed, cum desit textus Juris quo clare statuatur talis irregularitas, quidam eam merito ut dubiam habent. (D'Annib. n. 419; Gasp. n. 394)

**639. III.** Ex bello in quo homicidium vel mutilatio contigit, fiunt irregulares:

1° Si bellum fuit injustum, non tantum ii qui per seipsos occiderunt vel mutilaverunt, sed quotquot in exercitus parte dimicante versabantur, vid. ex delicto, quasi ejusdem sceleris socii. Probabilius tamen excusantur qui reapse nullum influxum in scelus habuerunt, puta qui inviti militabant et in aerem exploserunt. (D'Annib. n. 427. nota 1)

2° Si bellum justum fuit, sed aggressivum, ii tantum qui hostem propria manu occiderunt vel mutilaverunt, vid. ex defectu lenitatis. Merito tamen notat Gasp. (n. 450) hunc defectum lenitatis aegre intellegi in iis, qui coacti militant: siquidem, teste Suarezio (disp. 46. sect. 2), defectus iste potissimum in eo consistit quod quis se sponte militiae ingerit. Neque irregularis est qui dubitat num ipse occiderit aut mutilaverit, licet multi occisi vel mutilati fuerint (D'Annib. n. 427): quod in hodierna pugnandi ratione crebro contingit.

3° Si bellum justum fuit et defensivum, nullus laicus incurrit irregularitatem: clerici vero irregulares fiunt tantum si sponte et absque necessitate pugnaverunt, et insuper aliquem interfecerunt aut mutilaverunt: quae irregularitas videtur ex defectu lenitatis. (Gasp. n. 449)

**IV.** Ex homicidio vel mutilatione irregulares sunt:

1° Qui homicidium plene voluntarium quacumque ratione, etiam occulte, privata auctoritate patravit. Hinc irregulares sunt qui abortum foetus animati directe inducunt: qua in re licet sequi veterum sententiam, opinantium foetum masculinum quadragesimo, femininum octogesimo die post conceptionem animari, cum vetus Jus nulla recentiore lege mutatum sit. Minime vero hae poena plectuntur qui a peccato gravi immunes sunt, quia alium occiderunt in casu necessitatis et

servato moderamine inculpatae tutelae : quod valet probabilius etiam de casu quo non defenditur vita propria, sed alia bona moraliter aequivalentia et in iis adjunctis quae occisionem hanc licitam faciunt. Cfr. Vol. I. n. 368 seqq. Idem dic de casu quo, licet causa mortis posita fuerit, mors non est reapse secuta. Sed eadem poena plectuntur mandantes alique cooperatores positivi, immo et negativi, qui ex justitia, puta ob contractum, homicidium impedire debuissent, neque impediverunt.

2º Qui dant operam rei licitae, ex qua homicidium casuale oritur, si non adhibuerunt debitam diligentiam ne alterius mors sequatur. (Decr. l. 5. t. 12. c. 7) Exemplo sint medici vel chirurgi qui non adhibent omnem diligentiam requisitam, ita ut cum gravi ipsorum culpa aliquis e vivis excedat. Sed, etiamsi de culpa gravi non constat, solet pro iis peti et dari dispensatio ad cautelam.

3º Qui dant operam rei illicitae, ex qua mors alterius sequitur, etiamsi operans omnem diligentiam ad eam vitandam adhibuerit; probabilius tamen necesse est ut res ista non sit tantum utcumque illicita vel periculosa, sed ut periculum homicidii contineat. (D'Annib. n. 424. nota 24; Aichner, § 66) Sic irregulares sunt quilibet imperiti medicinam aut chirurgiam exercentes, si ex eorum imperitia mors secuta est.

4º Qui mutilationem, sensu strictissimo sumptam, peragunt in iisdem adjunctis quae modo de occisione explicata sunt. Igitur hanc poenam non incurrunt nisi pars abscissa sit membrum proprie dictum, i. e. nisi habeat in corpore proprium et a ceteris distinctum officium. (S. Alph. n. 379) Ideo irregularitatem effugiunt qui amputant auriculas vel nasum: quia non penitus tollitur facultas audiendi vel olfaciendi. Attamen, ex speciali Juris dispositione, irregularis fit ex defectu lenitatis qui seipsum mutilat vel castrat (Decr. l. 1. t. 20. c. 3 seqq.), etiamsi sibi absciderit tantum digitum vel digiti partem (Decr. Grat. dist. 55. can. 6), vel studio castitatis seipsum castraverit. Sed, in foro interno, irregularis dici nequit qui bona fide aut ob necessitatem haec aut similia fecerit, cum absit delictum. (D'Annib. n. 422. nota 14)

---

#### ERRATUM.

---

Pag. 656, lin. 10, lege *quos...* non vero *quas*.

---

## INDEX ALPHABETICUS

RERUM QUAE IN TOTO OPERE CONTINENTUR.

Numerus Romanus volumen, arabicus numeros marginales indicat.

### A

**Abbas Regularis.** Quam potestatem habeat conferendi ordines minores, II. 430.

**Abortus.** Quid sit, I. 374. — Quatenus illicitus sit, 375 seqq. — Reatus procurantium vel non satis caventium abortum, 378. — Censura contra abortum procurantes, II. 608.

**Absolutio a censura.** Quatenus requiratur, II. 373. — Quis eam dare possit, *ib.* — Num valeat etiam in foro externo data a confessario, *ib.* — Quis eam dare possit a censura reservata in articulo mortis et casibus urgentioribus, 374. — Extra hos casus, 375. — Num dari queat absenti, invito vel reo qui nondum dederit satisfactionem, 377. — Num necessario se extendat ad omnes censuras quibus quis ligetur, 378. — Num valeat extorta metu vel data sub condicione, *ib.* — Num danda sit intra confessionem et qua forma, *ib.* — Censura contra praesumentes absolvere ab excommunicatione specialiter R. P. reservata, 605. — Facultas specialis pro absolutione a censuris tempore jubilaei, 415.

**Absolutio a peccato.** Ejus forma, II. 264. — Preces praeviae vel subsequentes, 263. — Quatenus liceat dare absolutionem sub condicione, 266. — Num valeat data sub forma deprecativa vel absenti, 267. — Num iteranda sit super confitentem peccatum grave inculpabiliter omissum, 297. — Num verba: Passio D. N. J. C. etc. elevent omnia bona opera poenitentis ad meritum satisfactionis sacramentalis, 313. — Num valeat data ei qui bona fide confitetur peccatum reservatum apud simplicem confessarium, 349. — Quatenus sit danda rite disposito vel neganda

indisposito, 366. — Num liceat eam dare in dubio negativo vel probabili de poenitentis dispositione, 367. — Quatenus juvet eam differre, 370.

**Abstinentia,** virtus. Quid sit I. 232.

— Ecclesiastica. Num sit de essentia jejunii et quibus diebus servanda, I. 436. — Abstinentia a carne quid complectatur, 442. — Abstinentia ab ovis et lactiniis quatenus servanda sit, 443. — Quando graviter laedatur lex abstinentiae, *ib.* — Quomodo multiplicentur peccata contra eandem legem, 444. — Quatenus ab eadem excusentur infirmi, lactantes vel praegnantes, pauperes, operarii, iter agentes, membra familiae ob patrisfamilias voluntatem, invitati ad prandium carnibus paratum, milites, qui prandium carnibus inadvertenter parant, 449.

Dispensationem a lege abstinentiae quis dare possit, I. 430. — Num pluries cotidie ea uti liceat, *ib.* — Obligatio eorum quae forte a dispensante injungantur, *ib.* — Quatenus confessarius legem abstinentiae cum poenitentibus urgere debeat, *ib.*

**Acceleratio partus.** Quid sit, I. 374. — Quatenus liceat, 378.

**Acceptio personarum** quomodo committatur, I. 465.

**Accessio.** Quid sit; accessio per productionem; accessio in bonis immobilibus per aedificationem, plantationem, sationem, alluvionem, I. 487. — Accessio in bonis mobilibus per adjunctionem, specificationem, commixtionem, 488.

**Accusator.** Quis sit; ejus officia, II. 10.

**Acedia.** Quid sit; quibus actibus exhibeatur, I. 189.